

Dissertatio medica de abortu salubri ... / [Georg Christian Werther].

Contributors

Werther, Georg Christian.
Bohn, Johannes, 1640-1718
Universität Leipzig (1409-1953)

Publication/Creation

Lipsiae : Typis Haeredum Brandenburgerianorum, [1707]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/ytfw5y7e>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

12

I. N. J.

DISSERTATIO MEDICA
DE

ABORTU
SALUBRI,

Q^UA^M

GRATIOSÆ FACULTATIS
MEDICÆ

PRÆSCITU

VENTILATIONI PUBLICÆ

EXPONET

D. JOHANNES BOHN, P. P.

RESPONDENTE

GEORGIO CHRISTIANO Werther / Lips.
MED. CULT.

D. 3. DECEMBR. M DCC VII.

L I P S I Æ ,

Typis HÆREDUM BRANDENBURGERIANORUM.

DISSERTATIO MEDICA
DE

ABORTU SALUBRI

GRATIOSAE FACULTATIS
MEDICAE

PRÆSENTATIONE
PUBBLICA

EX AUCTORITATE
D. JOHANNES BOHN, P. P.

PROFESSORIS
GEORGIO CHRISTIANO EDDINGHOFF, P. P.
MED. CUL.

IN ACADEMIA MEDICA

IN URBE
T. HERRMANNI FRANKENBURGERI



I. N. J.

De

ABORTU SALUTARI.

§. I.



Abortum aliquando salutarem
seu salubrem fieri posse, res parado-
xa admodum videtur, ac Medici cir-
cumspetiores ambigunt, plerisque
horum præcociorem Fœtus enixum,
rem omnino contra Naturam asse-
rentibus, ex qua scæminæ plures lon-

ge periclitentur, quam sub partu maturo ac tempestivo, pro-
pter hæmorrhagiam, febres ac convulsiones illum frequenti-
us excipientes. Qualia quidem Symptomata plus metuen-
da, si ab injuria seu violentia externa præmaturior ejusmodi
partus evenerit: utpote quod sine Placentæ, ad secessum
spontaneum nondum dispositæ, sed Utero strictius adhuc con-
ferruminatæ, violentiore avulsione & cruenta maxime solu-
tione fieri nequit.

In specie vero sine gestantis vitæ discrimi-

mine vix propinantur ac hauriuntur pocula abortiva : neque adeo raro observamus, per Divinam Nemefin

Necis artifices arte perire sua.

Confirmante idem Hippocrate Epid. 5. t. 22. & 7. t. 27. Quinimo per sanctiones æque divinas ac humanas foetus ejusmodi præcox exturbatio frivola Homicidiis accensetur, adeo ut Tertullianus Apologet. c. 9. scripserit: *Etiam conceptum tantum utero, dum adhuc sanguis in hominem delibatur, dissolvere non licet. Homicidii festinatio est, prohibere nasci, nec refert, natam quis eripiat animam, aut nascentem disturbet. Homo est, qui futurus est.*

§. II.

Quamvis enim ex Medicorum turba nonnulli inveniuntur, qui in quibusdam casibus ancipitibus, ac si utero gestans febre graviore & acuta laboret, qualis sine præmatura Gestati exclusione tolli alias commode haud valeat, Matris servandæ causa Abortum movere, i. e. infantem potius solitari-um, quam una cum hoc Matrem, mortis discrimini exponere suadeant: saniores nihilominus magisque religiosi dubium hoc remedium detestantur, & plus quam nefarium pronunciant, Hippocratem atque Galenum secuti. Quorum ille jurejurando & fide data, nunquam tale quid se adhibiturum pollicetur: *Hic abortum ciente offerre ac describere in diversis Commentariorum suorum locis, v. g. in libr. quod animal sit, & de simpl. medicam proæm. nefas proclamat. Quibus accedit, quod nec illi, qui morbi acuti occasione foetum præcocius ejicere audent, quasi hoc facto felicius exturbetur ille, sine suo potiuntur undiquaque : postquam Foetus exclusio affectibus equidem præternaturalibus, a gestatione immediate oriundis, levamini evidenti cedit, minime tamen cœteris, i. e. qui ab imprægnatione nullatenus dependen-*

dent, ac in se periculosi observantur; pereuntque crebrius foeminæ, Abortum, aut a sanguinis missione minus opportune vel largius administrata, aut a Pharmacis exturbantibus, passæ. Suppressis nimirum ab hoc ut plurimum Lochiis, quæ Natura, ob vires, modo per evacuationes præcedaneas, modo per partum præternaturalem, fractas, rite propellere nequit: quorum nihilominus defectus in hoc casu plus, quam alias, funestus valde deprehenditur. Hinc sine dubio paradoxus admodum videbor, si inter præsidia medica salubriora Foetus immaturioris exclusionem referam, & Obstetrices Chirurgo sive adigere satagam, aliquando ut talem suscipiant. Discutiet nihilominus omnem in me vel præcipitantiæ, vel criminis, notam seu suspicionem Dissertationis præsentis contextus: modo cum ratione ac sine præjudicio eam legere, volupe fuerit.

§. III.

Discernunt communiter Abortum a Partu præmaturiore seu anticipante: quasi prior ante septimum gestationis mensem ab imprægnatione fiat, vitali nunquam, vivo quamvis aliquando, prodeunte Foetu; posterior Septimestrem Octimestrem & nondum perfecte Novimestrem, cunctos vitales (si forsan Octimestrem ex vulgi opinione excipias) excludat. Mihi tamen Abortus notione in sensu generaliore hic uti liceat, ut sub hac omnis Foetus enixus præmaturior, i. e. ante finem novi mensis, veniat, sive sponte factus, sive arte atque vi procuratus, modo talis ante tertium mensem non e- venerit: utpote quo tempore vix aliquod foetus conspicuum apparet rudimentum, i. e. intra secundinas membris singulis distinctus per omnia conceptus.

§. IV.

Mei haud facio, hoc loco edisserere, quantum emolumentum

lumentum oportuna foetus mortui exclusio, medicamentis vias laxantibus, & expultricem irritantibus adjuta, aut manu administrata, gestanti ac parturienti praestet, utramque non raro superstitem conservet: multo minus disquirere, quid *Hippocrates 2. epid. f. 2.* sibi velit per haec verba: *Abortus masculus sexaginta dierum in partuum suppressionibus salubris*: etsi *Riverius* partuum suppressiones per mensium imminutiones interpretetur, quas per hujusmodi abortum emendari credit; viis nempe, quae hactenus occlusae, per enixum praecocem referatis & sanguine ad Uterum uberius derivato. Qualem nihilominus interpretationem diversa momenta suspectam reddunt, v. g. quod vocabulum *τόκος* seu Partus & Catamenia ac Menstruorum fluor penes Scriptores nunquam Synonyma observentur; nec appareat, cur sexaginta dierum abortus in mensium difficultate solvenda majorem vim praebortu plurium mensium aut partu naturali habeat. Unicum hoc praeliminariter adverto, de Abortu per manum adornando hujusque exigentia seu emolumento superiorum seculorum monumenta (quae mihi sane evolvere concessum) parum tradidisse, nedum multos modernorum Scriptorum, si unum alterumve eorum excipias, mihi hinc inde nominandos: qualem Chirurgiam nihilominus subinde necessariam admodum esse, ac salutarem contingere, Ratio perinde atque Experientia edocent.

§. V.

Nimirum inter varias illas utero gestantium ac parturientium molestias, quas Sexum muliebrem divina sustinere jussit justitia non adeo infrequens observatur fluor Uteri cruentus, qui modo in ipso partus termino, modo diebus ac mensibus antecedaneis, foetui aequae ac matri exitium minatur, nisi

nisi provida ac promptior manus opem ferat, in utraque occasione foetum, i. e. sive perfectum ac maturum sive immaturior, & qui fatale exclusionis suae nondum attigit, educens. Saltem antequam hoc ante terminum enixus naturalem seu decretorium suscipiatur, fluxus immoderatio, quem *Gallia perte du sang*, ajunt, a leviori prudenter discernatur. Cum non adeo raro contingat, gravidarum muliebria cruore manare, & quidem ut plurimum periodice, per tres, quatuor, imo plures priores menses: atque hoc quidem sine gravidæ ac embryonis detrimento hujusque metu testantur præter *Brasavolam in Hipp. 5. Aph. 60. Solenandrum sect. 5. consil. 15. Schenckium obs. p. 574. & Rodoricum a Castro &c.* quotidiana Experientia, Quamvis nec vagæ semper prægnantû Hæmorrhagiæ uterinæ adeo timendæ sint, primis nimirum mensibus evenientes, nec profusiores. Mediis tamen ac ultimis sine notabili & mali ominis uteri irritatione nunquam fiunt, & ni Molam, Abortum, portendunt: cujus periculum intenditur, si ex ruptura vasorum & abscessu seu separatione Placentæ ab uteri fundo, per violentiam atque impetum externum facta, tale quid evenerit.

§. VI.

Ita tamen ut, quemadmodum hæc Secundinæ separatio aliquando levior & quoad partem tantum, in principio contingit, tractu vero demum temporis major ac totalis evadit, usque dum corpus ejus ad ostium uteri ante Foetum devolvatur, in priore casu fluor sanguinis primum observetur satis moderatus ac lentus, & aliquot interdum septimanas sub eo superstiti infante, quinimo matris etiam viribus ad partus terminum mediocriter sufficientibus. Quatenus non per totum sui ambitum seu omnimode, sed quoad partem sui solum, avulsa Placenta, tantum adhuc sanguinis vitalis ab

Uteri

Uteri vasis Embryoni conceditur, quantum ei sustentando par: nec gestans hoc mox enormius, i. e. ad Lipothymias & Spasmususque, privatur; donec illius connexio totaliter solvatur, sicque, nisi subitanea superveniat medela, pereant ambo. Et memini juvenulam, Scribæ Uxorem, a percussione vehementiore non tantum hæmorrhagiam medio-crem, sed febrem etiam, Convulsiones cum torminibus abdominis gravioribus & præcordiorum anxietatibus vehementioribus passam, nec in foetu per quatrimum aliquem deprehensum motum, enixam tamen fuisse die trigesimo puerulum, adpectu septimestrem, vivum, ast brevi mortuum.

§. VII.

Uteri Hæmorrhagias periodicas innuit primo earum typus, quem observant; si nimirum hic periodo Catameniorum solenni respondeat: deinde quantitas cruoris promanantis minor hujusque fluor lentus magis: ac tertio, si orificium uteri sub fluore hoc clausum nihilominus contrectetur, nullique partus dolores superveniant; hincque probabile evadat, non ex ipso Utero, verum e Vagina tantum, scaturire hunc laticem. Contra vagæ seu erraticæ magis judicandæ excretiones sanguinolentæ, quæ fatale Menstruorum periodicum minus observant, quæ copiosiores, & confertim magis prodeunt, quæ ostium dictum patulum ac conatus partus comites sibi habent.

§. VIII.

Quo discrimine supposito non parum autoritatis derogari videtur effato *Hippocratis* 5. aph. 60. *Si mulieri, utero gerenti purgationes* (hoc est, fluor uteri cruentus) *fiant, impossibile est, foetum esse sanum;* postquam contrarium hujus multijugæ & tantum non quotidiana evincitur experientia: fluorem nempe ejusmodi periodicum matri ac foetui minus præ-ju-

judicare, quam vagum, priorum potissimum quinque mensium, ubi parum adhuc succi vitalis materni infans sibi impendi postulat. Quinimo periodica ejusmodi evacuatio matri æque ac foetui aliquando salutaris ac proficua deprehenditur, si illa ex plethoricarum forsan numero: utpote quilibet varia alias Symptomata gestationem molestam reddunt, atque abortum metuere jubent; nisi ab iis per sanguinis missionem tempestivam præserventur. Præterea periodici pariter ac vagi fluoris periculum gravius reddunt ac temperant utriusque major minorque impetus & quantitas uberior parciore Purgamentorum rejectorum: adeo ut intuitu hujus circumstantiæ vaga etiam uteri hæmorrhagia aliquando sine gestantis ac gestati discrimine fiat.

§. IX.

Contingit hæc, ut modo dictum, frequentius per avulsionem Secundinæ a Matrice, hincque solutam, si non continuitatem, certe contiguitatem, utriusque hujus generis vasorum: unde non, nisi enormior ac impetuosior sanguinis profusio, illi similis, ni major, quæ post partum naturaliter editum Lochiorum nomine venit, emergit. Qualem divulsionem seu separationem præmaturam ac præternaturalem violentiæ externæ diversæ patrant, Motus, exagitationes ac torsiones corporis nimix atque incongruæ, Lapsus, Percussiones, Succussiones ex vectione in curru, equitatione rudiore &c. quibus accenseri debent Ira & Terror vehementior, item Metus atque angores exquisitiores, una cum Tonitru fragoribus & Fulguribus horridis, cuncta Spiritus violentius exagitantia, perinde ac ceteri motus corporis & solidarum partium mechanismum conturbant. Peculiare avulsionis ejusmodi præternaturalis causarum genus constituit Funiculi umbilicalis extraordinaria circa hanc vel illam Fœ-

tus partem circumvolutio, quæ ille sub motibus hujus non inordinatis tantum, sed moderatioribus etiam, eousque abbreviatur seu tenditur, ut Secundinam sibi continuam attrahat ac secum hinc inde abripiat, seu plus minus avellat, cum subsequente necessario sanguinis immoderatiore profusione. Nec improbabile est, eundem Funiculum a prima Foetus formatione brevioris simile quid præstare posse: qualem in natis autopsia aliquando sistit, & ego vix tres ulnæ quartas eundem æquasse, memini.

§. X.

Quæ Placentæ avulsione, sive cum impetu præcipiti, sive lente ac pedetentim magis, facta, Utero illa reagglutinari nequit, unde copiosior sanguinis fluor, qui nisi hac & Foetu exclusis cessat. Post partum quippe naturalem & expulsis hætenus uteri contentis, hujus compages spongiosa ordinarie sensim sensimque ad molem sui naturalem constringitur, hinc oscula vasorum avulsorum cum uteri acetabulis subsident ac obturantur, & Lochia successive imminuuntur: at in secessu ejusdem Placentæ intempestivo ac violentiore, quam diu Uterus a Foetus Secundinorum mole distensus tenetur, quinimo ab heterogeneis his sibi molestis ad expulsorios conatus plus irritatur, vasa dicta sanguifera eousque hiant & patula manent, donec illis rejectis hic ad pristinam & naturalem magis figuram atque ambitum se denuo recipiat, i. e. parietes ejus undique demum constringantur simulque comprimantur oscula vasorum, sanguinem hætenus effusus eructantia; quod interdum satis tarde fieri solet. Equidem post lacerationem involucrorum foetus subductis aquis imminuitur plus minus idem Sanguinis profluvium, nunquam tamen penitus sistitur: quod Uterus ad aliqualem tantum, nondum ad omnimodam, sui constrictionem redire valeat,

valeat, quamdiu a contentis cœteris, Fœtu nempe ipso ac Secundinis, adhuc molestat.

§. XI.

Hoc E. Phœnomenon sanguinolentum, quia matri pariter ac proli exitiosum deprehenditur, cujus medela nullam moram patitur, subitaneum quoque & generosum postulat remedium, malo scil. graviori & præcipiti adæquatum: si nimirum Cruor confertim magis ac impetuosius promanet, hincque Convulsiones ac Lipothymia impendeant. Qvale sane nullum aliud, præter celerem Fœtus educationem, illi, qui gravidam & infantem forsan (ad minimum, donec S. Baptismo fruatur) salvare contendit, suppetit: adeo quidem ut, si unicum & solitarium hoc præsidium negligatur aut tardetur, fœtus in utero extingvatur, brevi post Mater cum sanguine ultimum spiritum profundat; pro in salutem, si non utriusque semper, matris ad minimum, prospiciat hic abortus manu paratus, i. e. occasionis præcipitis, ex *Hippocratis* instituto rationem habeat, stimulum illum ac remoram, quæ constrictionem uteri naturalem & vasorum obturationem sufflammat, removendo.

§. XII.

Quamvis enim ex evolutione Scriptorum & Praxi triviali constet, in hoc casu plerumque commendari remedia diversa blandiora, styptica nimirum, interna pariter atque externa, una cum Sanguinis Missionibus, per Venæ sectionem incubito reiteratis: quibus imminuere & avertere sibi præsumunt affatim & cum impetu ad uterum ruentem sanguinem. Experientia nihilominus perquam funesta testatur, cuncta hæc auxilia, sive pharmaceutica, sive Chirurgica, irrita deprehendi, & ejusmodi miseras nihilominus, sive per imperitiam ac meticulositatem Obstetricis vel Chirurghi,

sive per morositatem ac pertinaciam Adstantium, sub levi-
densum talium & malo minus proportionatorum remedi-
orum usu fatis cedere, soli Fato & Naturæ vigori quæ com-
mittebantur: minus oportune extractis rebus, Uteri con-
strictionem morantibus, quin potius eructationem cruoris
uberiorem cientibus.

§. XIII.

Exempla ejusmodi gravidarum, quas per fluorem
cruoris immodicum in summum vitæ discrimen conjectas
cum prole sua nihilominus Chirurgia indigitata Orci faucibus
eripuerit, commemorat *Guillemeau. 1^r heureux accouchem.*
lib. 2. c. 13. quibus alia idem subnectit experimenta, talium
nimirum, quæ neglecta hac Obstetricatione brevi obierint.
Paria utriusque generis enarrat *Mauriceau. des Malad. des*
femmes gross. lib. 1. c. 21. ast inprimis in Volumine *des Obser-*
vations sur la grossesse & l'accouchem. des femm. Et *Bourgeois*
Heb. Ammenbuchs *part. 1. c. 5.* foetus hanc educationem
in casibus ejusmodi difficilioribus unicam salutis anchoram
pronunciat ac observationibus authenticis comprobat: ubi
simul quoque innuit exempla gestantium, quæ ob eandem
aut intermissam, aut tardius administratam, occubuerint,
v. g. Foeminæ illius, quæ post quadrantem horæ a celebrata
hac (tardius justo sine dubio) Chirurgia expiravit: quod in ca-
daveris ejusdem dissectis vasis parum admodum cruoris cer-
nere licuerit, scilicet ante operationem copiosius profusi.
Quemadmodum inter modernos *Henricus a Deventer* quo-
que in tali rerum statu nullam cœterorum remediorum
efficaciam, & prægnanti una cum foetu pereundum esse, ait,
nisi partus excludatur. Nec adeo novam tamen hanc anci-
pittem obstetricandi enchirisi censeri posse, vel exin inferre
datur, quod *Guillemeau allegatus*, Seculi millesimi centesimi
quinti

quinti Medicus ac Chirurgus, perhibeat, se operationem hanc vidisse peractam ab Ambrosii Parei Parente, eandemque sub hujus manu ductione primum felicissime fecisse in foemina quadam juvencula.

§. XIV.

Et quemadmodum aliis similes observationes suppetere minus dubito, sic nec ego destituor experimentis cum successu desiderato factæ hujus obstetricationis: tristium tamen plurimum simul recordor casuum, ubi modo propter imperitiam ac timiditatem obstetricantium, modo cervicositatem assidentium, intermissum hoc ultimum auxilium victimam cruentam reliquerit matrem cum prole. Memini scilicet Bibliopolæ hujus urbis uxoris, quæ Anno millesimo sexcentesimo septuagesimo nono, ex succussione vehementiore a ventione in curru rudiore, in principio noni gestationis mensis, fluori sanguinis immodico per biduum, ad extremam virium jacturam, extremorum refrigerationem & pulsum intermittentem, exponebatur, omnibus remediis sanguinem supprimentibus & corroborantibus frustraneis & ostio uteri mediocriter hiante: cui suavis meo ab Obstetrice nihilominus vivus educebatur infans sexus sequioris, qui tamen aliquot, post acceptum Baptismatis Lavacrum, horis expirabat; matre puerpera per plures adhuc annos superstite, & bis, ni fallor, postmodum feliciter gestante atque pariente. Sexennium nondum omnino elapsum, cum ad Mercatoris cujusdam Conjugem vocatus reperirem penes hanc, in magna (ut communiter penes nos fieri solet) foeminarum turba, Medicum in Arte obstetricandi satis peritum: quæ septimo mense gravida, ex terrore plus quam immensi, in Hæmorrhagiâ Uteri gravissimam conjecta demum consilio collato per illius manus ab hac & mortis periculo evidente, vivente puero,

B 3

quam-

quamvis paucas tantum horas vitali, liberabatur. Anno millesimo sexcentesimo nonagesimo quinto, ipsis Vigiliis Pentecostalibus, in Hortulani cujusdam Uxore, cruentæ morti post elevationem molis gravioris, medio mensis octavi, per imperitiam Obstetricis temulentæ adjudicata, cum foetum adhuc vivum mulierculæ ministrantes mecum censerent, deprehenderem quoque uteri ostium leviter patulum, seu laxius potius, ipsemet manum admovi, (nolebam siquidem salutis matris ac infantis posthabitæ complex fieri,) & quia hujus involucria jamdum rupta erant, ac Aquæ promanarant, mox digitis sine notabili renitentia dictum orificium sufficienter dilatavi, ut post leviora & pauca molimina mihi comprehendere licuerit foetus crura & mediantibus his educere puellam languidam valde & post anhelationes aliquot vitales, hinc inde interpellatas, intra horæ dimidium expirantem.

§. XV.

Adstiti tamen pariter ejusmodi casibus, quibus ex cruento fluore graviore Gravidæ cum Infante mortem obierint, spreto ac neglecto consilio saniore. Qualis Tragediæ recordor de Anno millesimo sexcentesimo septuagesimo nono, ubi a fulminis horrendi ictu Templum nostrum percutiebatur vehementius, etiam hinc simul percellabatur Mercatoris Uxor mihi affinitate cognata: quæ mox insequente nocte fluore ejusmodi corripiebatur, intra triduum eousq; ingravescente, ut cum foetu septimestri interiret tandē gestans, quod per Matris superstitosam timiditatem commendata Chirurgia adhiberi non poterat. Similis funeris memoria penes Civitatem, forsan nostram nondū excidit, quo ante biennium circiter gravida quædam juvencula, prosapiæ & conjugii spectatioris, post hæmorrhagiam uterî, ni fallor a terrore concitata,

tam,

tam, in vanum adhibitis cunctis auxiliis cœteris, inopinato cum uteri sui inquilino octimestri, succumbebat, quæ propter evidentius remittentem fluorem Medico, Obstetrici & consanguineis in vado esse credebatur, insequente nocte Recidivam lethalem passa.

§. XVI.

Quare mirari satis & approbare nequeo *Cornelium van Solingen*, qui postquam *Embryulcia cap. 30.* in fluore uteri cruento, gravidis quocunque tempore obveniente, secundum consilium atque institutum *Guillemeau & Mauriceau* educationem foetus chirurgicam sancte commendaverat ac deliniverat in *the besondere amerkingen de Frauen en Kinderen concernende*, nihilominus Sartoris conjugem, propter virium ex Hæmorrhagia uteri quatuordecim dierum imbecillitatem, Consilio Cornelii Stalpart van der Wiel suffultus, soli fato concesserit, eique omnem manualement operam denegarit: postquam ex circumstantiis ab ipsomet Scriptore recensitis hæc ejus meticulositas minime impunis pronunciari poterat. An Obstetrices nostrates omnes æque hujus Remedii ancipitis notitiam habeant, aut in usum trahant, non sine ratione ambigo: cum ad Medicum informandum observata sua recensenda horumque ætiologias explicandas & ad quæsitæ respondendum earum pleræque rudes valde atque ineptæ deprehendantur, cum mulierculis plebeis, sui admiratricibus, tantum garrere natæ; nec memini, ab ulla harum unquam me tale quid intelligere potuisse. Nisi quod nuper demum quandam harum enarrasse recorder, se ad principium octavi mensis gestanti, quæ enormiori sanguinis per uterum profusioni exposebatur, adstitisse, sibi quæ post frustraneum remediorum vulnerariorum usum & post sponte ruptas membranas obviam factos fuisse foetus pedes, quibus levi conatu & labore ex utero pro-

protraxerit puellam per triduum viventem, hæmorrhagia illa usque ad mediocrem Lochiorum quantitatem brevi cessante.

§. XVII.

Fateor, Operationem hanc, prout generosam, ita anceps valde, remedium existere, nec ejus eventum desiderio ac spei gestantium atque amicorum æque semper respondere: quin aliquando Mater, Natus, vel ambo, sub eadem, aut paulo post, pereant. Discrimen tamen hoc quia, perinde ac aliæ hujus generis Chirurgiæ, aliquando in salutem periclitantium vergit, sine dubio mortis certæ declinandæ gratia non adeo graviter & absolute formidandum, illique indubiam mors minime anteferenda. Sane etiam hoc loco auscultandum erit *Celso*: *Melius est experiri anceps remedium, quam nullum*: postquam nihil interest, an satis tutum præsidium sit, quam unicum. Una cum *Galeno* 10. *meth. med.* 10. ubi, *quanto satius est, ait, aliquid nonnulla fiducia vel cum periculo facere, quam spe adempta certo perire; tanto profecto satius est, potentibus præsiidiis pugnare, quam nihil agere*: atque hoc quidem ubi spes non tantum aliqua mortis declinandæ, sed ubi salutis saltem prorogandæ quoque, comparet, v. g. ut foetus debiliior eoque tantum superstes conserve-
tur, donec, Baptismo fruatur, ne alias consequentias magis politicas tangam. Et quæ nonnullas Obstetrices nonnullosve Operatores in ejusmodi casu difficili fallit, meticulositas, per quam sibi suæque existimationi consultius ducunt a momentoso hoc similive remedio abstinere, ne mortem accelerasse plebi videantur, vel ideo suspecta judicanda, quod secundum *Hippocratis* Legem, Imperitiam artis arguat: hincque studiose cavendum, ne, dum indemnitati Gestantis tutioribus sic dictis præsiidiis litamus, ac soli Naturæ nutui atque Fato fallaci difficillimum ejusmodi statum concedimus

mus, necessariæ atque adæqvatae opis neglectu periclitari sinamus ejus, & quem utero fovet, infantis salutem, pro in exitiosæ utrique existant blanditiæ pariter Obstetricantis, ac Obliterationis durities. In desperatione versatur Mater cum Infante, dum fluor hic minime cessat, donec illa ab hoc fuerit liberata: cur non, si non ambo, unum ad minimum isti eripiamus, & quidem infantem in specie, si non vitalem, ad minimum eousque viventem, donec Sacramento initiationis potiri valeat. Est præterea hæc operandi ratio non adeo difficilis, prout eam sibi concipiunt Artis Obstetricatoriæ minus periti: modo secundum sanam rationem ea adornetur, quæ in eo præprimis versatur, ut oportune ac in tempore fiat.

§. XVIII.

Scilicet ante omnia nec properanda nimis, nec iusto diutius procrastinanda, erit Chirurgia hæc. Non prius, hoc est, non statim, ac fluor apparet, neque, ubi nondum adeo impetuosus fuerit, & viribus adhuc polleat gravida: utpote in quali casu adornata atque repetita in Cubito Sangvinis missio gestationem non raro ad terminum usque partus naturalem integram conservat ac firmat. Si imprimis in lecto simul se quietam contineat ista, non, ut Vulgus satis superstitiose sibi persvadet, per novem tantum dies, sed per plures etiam, imo ad mensem integrum; seu donec evanuerint symptomata, læsionem uteri concomitantia & consequentia. Spatium novem dierum a violentia illata equidem laxum satis videtur, læsionis magnitudinem seu gradum observandi, ex superingruentibus intra hoc symptomatis; ast Fatale periculosi eventus per hoc non eousque restringitur, quin post idem, & ubi res transacta videbatur, de Matre ac Infante male adhuc agatur.

tur. Prout quippe contusio aut quævis utero facta injuria non unius generis, sed modo major, modo minor, existit, nihilominus disparitatem hanc a priore adeo exacte semper dignoscere vix datur: ita tutius agunt foeminae, quæ quieti ultra nonum diem indulgent, quam quæ ad motus ac labores hoc vix elapso statim se denuo recipiunt & periculo Recidivæ enormioris se exponunt. Cum novennarii numeri, ut talis, nulla in operando vis, & commotio uteri levior intra paucas horas vel dies, gravior intra totidem septimanas, aliquando sanari ac firmari nequeat.

§. XIX.

Quinimo aliquando ingens satis gestantibus cruoris evenit profusio, quamdiu tamen hæc vires Matris nondum enormius attrivit, nec dolores etiam partus adhuc omnimode, evanuerunt; neq; graviora symptomata, in specie Convulsiones aut Deliquia animi, superveniunt, & Fœtus in situ naturali deprehenditur, Naturæ potius prudentiæ mora aliqua adhuc erit concedenda, quam violentiori atque extraordinario statim huic molimini Mater exponenda: nisi ut, quamprimum hoc fieri queat, Membranae fœtum involventes rumpantur, sicque latior Placentæ avulsio declinetur, simul tamen fores pandantur infanti enixum quærenti. Approbat hoc consilium *Mauriceau Observat. sur la grosseff. & accouchem. obs. 624*, ex cōplo gestantis, Hæmorrhagiæ uteri vehementiori, & quidem ad gestati usque extinctionem, expositæ: in qua cum dolores partus observaret, etsi non omnimode genuinos, vires vero nondum plane exhaustas, ac fœtus caput ad ostium pronum, hujus educationem festinare noluit, ne matri præter necessitatem vim inferret, sed post factam involucrorum rupturam Naturæ motui enixum illius concessit, qui paulo post felicissime contigit. Quod si vero

vero ad Lipothymias aut Convulsiones usque promanet cruor, mora omni posthabita Embryulciam hanc tentare opus erit.

§. XX.

Præterea ratione sanguinis Missionis commendatæ adhuc monendum, ne in quavis hujus generis Hæmorrhagia uteri in usum trahatur, vi persuasionis, quasi in immoderatiore, si non undiquaque forsan prodesse, saltem minus obesse, valeat: dum quemadmodum in mediocri, & ubi vires adhuc constant, auxilio est, in cubito non tantum, sed crure quoque, administranda, si forsan Convulsiones illam comitentur; sic in graviore, ac ubi illas jamdum nimis exolutas esse, inquietudo foeminæ ingens hujusque pulsus languidior seu exilior innuit, ejusmodi sanguinis depletio periculum vitæ intendit, ut aliquando sub ejus administratione, aut paulo post, gravida expiret, sanguine ac spiritibus ante hanc valde jamdum depauperata.

§. XXI.

Neque accingere se debet Obstetrix aut Operator ullus ad Foetus hanc educationem, priusquam aliquid dolorum partus adesse vel adfuisse cognoverit, & quamdiu Uteri Orificium strictius adhuc clausum deprehendit. Adeo quidem, ut sub circumstantia hac, & ubi Natura in illis concitandis simul deficit, matris intuitu satius sit nihil plane moliri, ut ut cum infantis præjudicio ac discrimine hoc fieret: cum per violentiorem Matricis dilatationem sine dubio vivis eripiatur Mater. Pro qua interim juvanda ac doloribus partus movendis non immerito commendantur Enemata paulo acriora, quæ simul stimulos spasmodicos, si forsan, ut dictum, Convulsiones præsto sint, discutiant atque revellant. Quinimo, annotante *Riverio cent. 3. obs. 24.* ab administrato

Clystere sanguinis fluor aliquando evidenter satis imminuitur, qui forsan ab eodem magis intendi videri posset: forsan juxta eundem Scriptorem ea ratione, quod a Scybalis Intestini Recti Uterus haftenus pressus motum illum sanguinis præposterum cohibere non potuerit, ab hac vero oppressione liberatus ad motum naturalem magis redeat. Nec si excretio Sanguinis nondum enormior fuerit, & Ostium Uteri sub viribus mediocribus aliquantulum hiet, aliquid agere, sed soli Naturæ totum committere negotium, decet: nisi ut membranæ foetum ambientes quam cito rumpantur, ne hæ, circumferentiæ Placentæ undique continuæ, inter partus conatus tensæ hanc ab Utero magis magisque avelant, sicque hæmorrhagiam graviolem reddant.

§. XXII.

Ordinarie ac ut plurimum penes parturientes ambitus Orificii Matricis tenuis, mollis ac æqualisprehenditur, quales etiam facilius ac feliciter pariunt: illæ vero, quibus compages hæc crassior, durior & inæqualis contingit, v.g. primiparæ, provectioris ætatis, ac quæ laboribus multis & durioribus vacant, difficillime & non sine periculo partum entuntur. Pariter operationem faciliorem promittit prior & naturalis magis ostii hujus constitutio, ac quæ tali gaudent, eam ut plurimum salutarem maxime experiuntur & evadunt: dum contra compactius & prædurum magis Uteri orificium eandem difficiliorem & non raro exitiosam præstat. Fallitur siquidem *A. Laurentius*, dum *lib. 7. cap. 12.* ejus substantiam, quo partus propinquior, eo magis increassari atque rigescere tradit, & Experientia eum contrarium docere potuisset, scilicet Ostium hoc tunc magis attenuari, mollescere ac quasi complanari: nisi forsan sub doloribus nothis dispositione
spasmo.

spasmodica, ubi ad aliqualem prominentiam atque rigiditatem idem manifeste constringitur.

§. XXIII.

Neque tamen justo diutius & ad extremorum usque ingruentiam differenda erit hæc Chirurgia, sed statim ac sanguinis fluor immodicus & continuus comparet, de præcedanea gravidæ corporis collisione, tensione ac vehementiore animi affectu similive causa evidente constat, deliquia animi superveniunt aut imminet, unde ingentem Secundi-
 næ avulsionem augurari jubemur, de Fœtus educatione cogitandum. Ne, dum hanc ad Convulsionum invasionem moramur, sub manibus cum illo expiret Gravidæ. Aut si forsan post moram ejusmodi ancipitem vivus prodeat vel educatur Fœtus, parturiens nihilominus, cessante quamvis fluore cruento, brevi post perit: tantum sanguinis cum ipsi vix restitet, quantum ejus vitalitati perpetuandæ ac deliqui-
 is cordis lethalibus avertendis foret adæquatum. Casum hujus generis funestum ex *Bourgeois* superius allegavi, ubi post tardius eductum infantem puerpera mox animam exhalabat: ob defectum nempe sanguinis immensum, & vasa in cadavere tantum non omnino inania reperta. Cui forsan par dici poterat Fatum Sororis juvenulæ *du Mauriceau*, quod hic *des malad. des femmes* l. c. c. 21. prolixius exponit. Hæc octo atque dimidium mensem gravida, ex lapsu in genua gravem sustinebat uteri succussionem, ex qua etsi primis mox diebus nihil mali persentisceret, tertio tamen vehementioribus ac crebrioribus partus doloribus, cum enormiore Sanguinis excretionem corripiebatur: attamen sive per imperitiam, sive meticulositatem Obstetricis & adducti Chirurghi, omnem evadendi spem denegantium, matris atque infantis salus soli Fato, sine ullo Artis admini-

culo, fuit demandata, interim per horas novem sub continua & ultra trium Quartarum cruoris promanatione viriumque evidentissimo decremento relicta. Donec tandem ab ipso hoc Fratre feliciter quidem ac vivus educeretur Fœtus, intra horulæ tamen spatium, sub deliquio graviore cum Nato ex vivis decederet soror, sanguinis fluore quamvis suppressio.

§. XXIV.

Multo minus in ejusmodi occasione ancipiti dolores partus frequentiores ac potentiores expectare conceditur, quasi hæc naturæ conamina Artem juvent: utpote quales in principio hujus fluoris plerumque quidem eveniunt: imminuuntur tamen ac evidenter remittunt atq; intermittunt, ubi ille ad Lipothymias usque intenditur, hincque Naturæ tendentiæ expulsoariæ fatiscunt. Demum, quamvis nondum sufficienter explicato seu aperto Ostio Matricis hæc Operatio suscipi nequeat, ac remediis tantum ordinariis & blandioribus tunc insistendum veniat: minime tamen eadem ad totalem & latiore usque illius hiatum differri debet, utpote quam manibus non raro juvare licet, modo illud aliquantulum, pro digitis Operatoris successive admittendis, hiscat: postquam profusio illa sanguinis hoc abunde humectat, viriumque imbecillitas tonum ejusdem perinde laxat, ac si potentiores sustineat, vel sustinuerit dolores eadem foemina. Par enim circiter in hac fieri videtur, ac in illis, quæ morbo quovis graviore forte ad ultimum fere spiritum attritæ ac defatigatæ, hinc Prognostico relicta, partum facilem & tantum non sine ullo dolore experiuntur, i. e. sub tali virium langvore citius pariunt, ac se peperisse putant; relaxatis nempe ab hoc, seu per tantum animi & corporis deliquium, vinculis cunctis naturalibus, ut proin nullo vel exili conamine distensivo opus habeant. Nunquam vero soli-

us Naturæ nisi fidendum, si Placenta eousq; descenderit, ut in ostio promineat, postquam hic illius situs pravus totalem ejusdem secessum seu a superficie uteri avulsionem, hinc enormiorem Sangvinis ac Virium profusionem, roburque illius ad Fœtum commode expellendum impar, arguit. Seu in occasione hac infans quam celerrime educendus, si huic & matri tempestivam operam ferre, aut illo mortuo hanc nihilominus a morte vindicare malimus; juxta modum paulo post describendum.

§. XXV.

De cœtero operationem hanc neutiquam sufflaminare poterit Gestationis tempus præmaturius forsan, quin potius quilibet ejus mensis, & fœtus quælibet ætas, cœteris paribus, eandem admittat, imo postulet symptoma hoc valde urgens, quotiescunque ex hoc mater de vita periclitatur: proin non minus ante, ac post, septimum mensem. Quamvis, si illa post septimum oportune ac rite fiat, major spes subsit Fœtus æque ac Matris conservandi, quam si præcocius & ante illum hanc adornare urgeamur: cum ante septimum mensem, sive sponte nati, sive arte educti, raro vivi, nunquam vitales, prodeant; i. e. utut vivi excludantur, diutamen superstites haud maneant, sed brevi moriantur, robore nempe homini viventi adæquato destituti.

§. XXVI.

Unum adhuc est, quod feliciorem hujus Embryulciæ successum interpellat, nihilominus quoda priore dignoscere vix unquam conceditur, ex cadaveris demum Gestantis autopsia constat: Si nimirum Hæmorrhagia ejusmodi a vulnere seu dilaceratione ipsius Uteri evenerit, facta sive a violentia externa, v. g. percussione; sive a nimia ejus ab intra distensione, pravum fœtus situm ejusdemque molimina plusquam ordinaria consequente. Qualis posterioris exempli

reco-

recordor in Serratoris cujusdam Uxore annosiore primipara, Dystocia, seu potius partu nullo, succumbente: in cujus cadavere dissecto Fœtus, facie ad anteriora abdominis materni conversa, capite ossis Ilium sinistri costæ innixum & tantum non impactum cernebant mecum mulierculæ adstantes, simulque rupturam uteri lateris dextri, pedum Fœtus extremis propinquiorem ac digiti longitudinem æquantem: Sine dubio a pravo hoc fœtus situ sub partus conatibus biduanis vehementioribus oriundam. Similium phœnomenorum mentionem faciunt *Salmuth b. 1. obs. 16.* *Schenckius l. 4. de utero obs. 8.* & *Gvillemeau l' heureux accouchem l. 2. c. 13.* atque horum quidem posterior in fœmina quadam viginti quinque annorum, quæ sub partus termino fluore sanguinis triduo diffluens (causam seu occasionem hujus tacet Scriptor) equidem facillime pariebat, post paucas tamen horas spiritum exhalabat; cujus Uterus, abdomine dissecto, prope insertionem vasorum Hypogastricorum, simul ruptorum, fissus ac laceratus comparabat, cum notabili cruoris extravasati incavo Abdominis collectione. Cujus quoque generis est, quod Mauriceau *alleg. loc. obs. 251.* de juvencula quadam refert, quæ biduum ante partum lapsum vehementem in genua passa ex præternaturali & nullo partu mortem obierat: in cujus abdomine dissecto major offendebatur Fœtus portio, per rupturam Matricis insigniorem eo deposita, solo capite in hac relicto, quamvis sub vitioso pariter situ; id est, facie & ventre sursum conversis, ipso vero capite ad latus inclinante. Breviter, mulieres, quibus ejusmodi ruptura uteri à quacunque occasione contingit, nunquam evadunt, sive sponte pariant, sive per Chirurgiam juventur.

§.XXVII.

§. XXVII

Sicut etiam quam maxime advertendum suggerit i-
dem *Mauriceau obs. 411. & 422.* & hinc inde eandem Ope-
rationem, etsi infanti forsan salutarem, vix tamen æque
semper felicem contingere Matri, si sanguinis illa eruptio
vitiosa a lapsu similive læsione externa concitata fuerit,
quam si, ut aliquando fieri observamus, a sola plenitudine
vasorum tale quid evenerit. Hinc, quamvis circumstan-
tia hæc Operationem illam non omnino dissuadeat, prolis
ad minimum salvandæ causa, existimationi tamen suæ & Ar-
tis per eandem quam maxime prospicere licebit, majus hoc
Assidentibus exponendo periculum, ne in Operatorem aut
Operatricem culpa redundet, extremitati potius aut gravi-
tati morbi attribuenda; sicut quotidie fieri observamus,
quodque penes Artificem peritissimum quoque non parum
meticulositatis gignit.

§. XXVIII.

Quibus Perhibentibus ac Prohibentibus cunctis cir-
cumspectius indagatis ac trutinatis ipsa Operatio hunc in
modum suscipitur. Nimirum in Lecto vel Sella parturi-
entibus solenni, simili ratione, ac in partu quovis, colloca-
ta seu situata gestante, Chirurgus seu Obstetrix sinui muli-
ebri digitos arctius complicatos blanda manu intrudit, hos-
que, postquam Ostium Uteri subintrarunt, successive, hoc
est, unum post alterum explicat, pro hoc sensim & quan-
tum possibile, absque notabili violentia, dilatando: non,
ut in aliis Partus casibus caveri solet, dolores hujus adjutri-
ces a Natura expectando, sed sub prima statim manus applica-
tione; vel quod, ut jam dictum, dolores illi in hac occasio-
ne deficient, vel quod adjutorio eorum minus opus sit, re-
laxato jamdum p. n. Ostio uterino ab Hæmorrhagia profu-

fioe ac virium fatifcentia. Quo facto & dum Membranas Foetum ambientes nondum laceratas deprehendit, has perfringere minus dubitat, quin potius feftinat; partim quo, ut fuperius innui, major & omnimoda Placentæ avulfio, quæ extravafationem cruoris intendere poterat, interpelletur; partim ut via, ad Foetum inquirendum atque extrahendum patula fatis quantocyus reddatur; partim ne dum deficientibus aut langvefcen- tibus doloribus partus naturalibus, qui Membranas nominatas alias, eas per oftium uteri exprimendo & in anguftias quali cogendo, diffringunt & quali crepare faciunt, obftetricatio hæc cum exitio Matris procrastinetur, cujus tamen leviori moræ grave periculum fubeft.

§. XXIX.

An divulfio hæc membranarum manualis in partu naturali quadret atque fufcipienda, inter rei obftetricatoriæ Commentatores ac Adminiftratores valde difceptatur, eorumque ac Obftetricum alios aliasve timidos fatis deprehendimus, v. g. ex harum Peritioribus *Louiffe Bourgois* **Heb- Ammenbuch** *part. 1. cap. 8.* quamvis earum alias adeo temerarias quoque offendamus, quibus moris nefarii eft, tantum non in quavis obftetricandi occafione illam tentare ac perficere: ſibi encheiriſin hanc ad partum quemvis accelerandum proficuam valde eſſe perfuadentes, aliquando eandem inter arcana ſervantes. Quam li- tem prolixiorẽ quo paucis dirimam, aſſero cum aliis, lacerationem hanc involucrorum quandoque eximie neceſſi- tatis atque emolumenti eſſe, adeo ut Matrem perinde ac Prolem interdum ab internecione certa vindicet, modo oportune ſufcipiatur; quandoque tamen eandem exitioſam quoque fatis utrique evadere. Non tantum quod aquis præ- maturius profuſis muliebria aridiora, hinc enixus foetus diffi- cilio,

cilior, evadant; sed quod idem Fœtus, perversè forsan locatus, perditis aquis circumfluentibus, in hoc situ pravo confirmetur ejusdemque figuræ vitiosæ correctio maxime turbetur atque impediatur. Quibus accedit, Aquas intra Membranas compressas Os Uteri præ infantis capite commodius aperire, adeoq; partum minus forsan morari, quam juvare: cujus phœnomeni intuitu illæ citius rumpi non debent, nisi postquā Ostium hoc satis, h. e. ut latitudine sua capitis fœtus, quod permeare debebat, moli respondeat, explicatum fuerit.

§. XXX.

Urget divulsionem hanc partus aliquando omnino naturalis, si Ostium nempe Matricis perfectius hiscat, sinui muliebri vertex Fœtus directo immineat, nec dolores parturiendi deficient; Involucrorum illorum densitas nihilominus seu tenacitas extraordinaria enixum ejus ultimum moretur, adeo ut modo partus, naturalis equidem, tardior tamen ac difficilis, hinc veniat metuendus; modo fieri queat, ut sub mora hac a situ naturali plus minus divergat nascendus, proin sui enixum sibi ac parturienti molestiorem præstet. Quinimo si Caput ejus ad alterutrum latus declinet ac obliquetur, etsi hujus directio ac in situm naturalem reductio, integris quoque membranis fieri possit, ac commodius fieri soleat: casus nihilominus non raro emergit, quo sub conamine hoc directorio Fœtus caput hinc inde commoveat ac retrahat, liberius adhuc aquis innatans. Quo observato rumpendæ sunt membranæ ac dimittendæ Aquæ, ut caput Fœtus non modo commode dirigere, sed directum quoque stabile ad partum usque conservare, sicque figuram vitiosam magis evitare, integrum maneat. Aliquando tamen situs quoque, Fœtus præternaturalis obstetricatoriam dictorum involucrorum aperturam postulat; & quidem in cunctis illis occasio-

D 2

nibus,

nibus, quibus illi corrigendo Obstetrix allaborare tenetur; utpote quod sub tunicarum seu aquarum integritate fieri nequit, v. g. si idem Foetus alterutram manum extra uteri ostium promat, si Funiculus umbilicalis prolabatur &c. quo nimirum utramque hanc aliamve partem errantem pone caput illius promptius reponere liceat, iisque repositis caput solitarium altius & commodius prodeat.

§. XXXI.

Sed potioris sine dubio necessitatis atque emolumenti hæc Membranarum ruptura obstetricatoria deprehenditur, ubi vel brevius, vel longius, ante partus naturalis terminum fluor cruentus vehementior gestantem corripit: vel ut excretionis hujus præternaturalis impetus retundatur, vel ut facilius educatur Embryo, prout superius monitum; proin minus differenda. Postquam per experientiam innotescit, laceratis his repagulis, omnibus fere quamvis deploratis, sub effluxu aquarum Hæmorrhagiam illam evidenter satis imminui, si non omnino cessare; quatenus illis rejectis acetabula uteri hæctenus distensi cum vasorum sanguiferorum ostiis, ab avulsione Secundinæ omnino patula, ab uteri compage subsidente & constricta magis arctantur: Foetum vero forsitan in situ naturali constitutum aliquando per dolores, denuo quasi resuscitados, mox ad partum urgeri, ac promptius, sine multa manuali opera, tantum non ab eadem uteri constrictione solitaria, in lucem protrudi: Aut si forsitan enixus ejusmodi naturalis haud evenerit, sed per crura educendus fuerit Embryo, advertente *Guillemeau l. a.* matura illarum tunicarum divulsio hoc etiam commodi præstat, ut sub aquarum effluxus momento, & quamdiu uterus mollior atque laxior adhuc, manu illico & adverso quasi flumini immissa ad crurum acquisitionem & adductionem converti

verti ac dirigi commodius possit in hoc infans; quam si impetu Naturæ demum & ante manus applicationem profusis aquis, tale quid suscipendum fuerit, in utero scilicet sicciore atque rigidiore.

§. XXXII.

Saltem circa negotium hoc dubitare licet, num ruptura commendata tunicarum in difficultate præsentis perinde fieri possit, ac in partu naturali, & qui sub pleniori Naturæ vigore contingit? postquam Ratione æque ac Experientia convincimur, in hoc illas, non, ut Vulgi & Muliercularum hætenus tulit traditio, a Foetus calcitracione ac artuum ejus vehementiore nisu ac impulsu dilacerari, illumque ipsum met quasi claustra hæc novimestria referare: dum ruptura hæc in parte earum ad & per Ostium uteri prominente & capiti Foetus directo opposita, seu in quam nec manibus, nec cruribus ullus conceditur impetus, observatur. Ut verosimile fiat, eas non ab intra divelli ac perforari, sed per conatus demum uteri parturientis constrictorios ad crepaturam usque comprimi; & quidem in parte sui maxime extra Ostium Uteri protuberante ac in angustias coacta, ab uberiore aquarum ad hanc impulsu atque pressione: per consequens sub hac quoque pressione hincque oriunda turgescencia demum membranarum earum rupturam arte juvari posse. Quibus ita se habentibus (provoco ad Obstetricum prudentiorum attentionem) vix adeo facili concipere datur, qua ratione flaccidiora minusque tensa hæc involucra digito in præsentis casu adeo commode perfringi quæant, pressione illa crepatoria haud concurrente? quam plerumque hic deficere, deficientibus nimirum doloribus parturiendi, pressionem hanc alias præstantibus & cum manu Obstetricis coagentibus, ex antedaneis repetendum.

§. XXXIII.

At evanescet omnis ex circumstantiis adductis subor-
ta difficultas, si attendamus satis teneram & lacerabilem Tun-
icarum harum esse texturam naturalem, ut non tantum quam-
vis rudiores illarum contrectationem evitare sedulo teneat-
ur obstetrix, pro incautiore & intempestiva earum ruptura
declinanda, si nimirum cum humoribus extra orificium uteri
protuberent; sed eadem quoque non raro ante sui prominen-
tiam tensionemve, ac doloribus vix incipientibus (ne di-
cam longius ante terminum fatalem) sponte crepare
ac rumpi. Ut per consequens nec in hac occasione
earum densitas atque tenacitas eousque timenda veniat,
quasi ungvis digitorum superari ac perfringi haud possit;
cujus contrarium manus applicatio arguit, vel hoc præsu-
mere jubet, quod cum tale quid, uno vel altero ante Par-
tus terminum solennem moliamur mense, has Membras
æque, ac Fœtus membra, firmitudinem ac robur ultimum
nondum acquisivisse, utique concedendum sit. Imo quid
vetat Uncinulo similive instrumento perforante hoc ali-
quando agere, quod digitis nudis haud concessum; ne
tangam, per hæmorrhagiam grandiore mortificatas qua-
si & tono naturali orbata tunicas digitos Obstetricis vel
Operatoris promptius admittere, quam vigore suo tensivo
ac renitentia vitali adhuc pollentes. Illud saltem circa di-
lacerationem hanc Membranarum, prout in genere, ita in
præsenti casu, adverti debet, ne dum eam molimur, eas-
dem validius attrahamus: ne hac ratione ab utero simul
intempestive avellatur Placenta, aut ejus unitas cum U-
tero aliquatenus seu leviter tantum soluta, omnimode ab-
rumpatur, hinc sanguinis profusio in Infantis ac Matris
præjudicium intendatur.

§. XXXIV.

§. XXXIV.

Majoris momenti existet negotium, si loco partis secundinarum membranosa carnosae, i. e. Placenta seu Epar, uterinum dictum, Infantem antecedit: h. e. ab Uteri Acetabulis penitus avulsum & ad ejus Ostium devolutum fluxum ejusmodi cruentum patret viamque infanti intercludat. Hac ratione siquidem Matri non tantum Sanguis vitalis subtrahitur enormius, sed Foetus quoque brevi suffocatur, respiratione destitutus: qua nihilominus maxime indigebat, postquam ejus sanguis intra Epar uterinum avulsum nihil amplius vitalitatis a Matre suscipit. Equidem status hic ab omnibus aequae obstetricibus vix adeo prompte dignoscitur, quod corporis illius substantia carnosae ad contactum cum mulieris sinus compage eadem videatur: sagaciori tamen eum facile ominari licet ex enormissima sanguinis profusione, & si Ostium Uteri digitos cautius immittere, sicque Uteri ac Vaginae parietes atque ambitum a contento hoc discernere norit. Insuper vero massam hanc carneam ab ipso Foetu hujusque membris distinguimus, cum capite hujus mollior tangatur, mollitie quoque ac lubricitate carnes infantis compactiores & ossibus intertextas evidenter superet exossis omnimode ejus compages: ne dicam, continuum huic Funiculum umbilicalem ejus praesentiam (nisi inversa forsan facie ostium uteri spectet) innuere. Interim quo gravius ab hoc casu praeter ceteris a fluxu sanguinis impetuosiore imminet periculum, tanto magis festinanda erit Foetuseductio, hujus ac genitricis gratia.

§. XXXV.

Communiter duplicem hujus Secundinae secessus sibi concipiunt modum seu gradum, v.g. *Gvillemean* ac *Mauricean*: ita ut illa modo ad Orificium uteri deprimatur, huicque propin-

propinquius immineat, modo idem præter ac elabatur & ad Vaginam plus minus descendat. In priore casu illam eousque ad alterutrum Uteri latus reclinare seu devolvere jubent, donec Membranarum aliqua portio Ostium spectet, pro educendis aquis dilaceranda (nisi forsan rupta jamdum fuerit) Fœtumque mox & ante omnia cruribus educere: ast in posteriore occasione, & Placenta extra Matricem penitus elapsa, simulque si Membranæ ruptæ fuerint, extrahi debere primo secundinas, hincque demum Infantem. Verum cum opus non exiguæ difficultatis sit, secundinarum nondum ruptarum portionem ad latus alterutrum dimovere, pro membranea commodius perforanda, subitanæ tamen sui educationem Fœtus urgeat; ipsam potius prominentem carneam Placentam digito vel uncinulo mox perforare consultius erit: quod eo facilius fieri potest, dum ejus textura minus fibrosa molliorque, membranea quoque expansio, eam ab una parte obvelans, reliqua tunicarum substantia tenuior longe proin lacerabilis maxime existat. Hinc quantum per Ostii uteri amplitudinem licet, digitis ruptura facta dilatetur: sic posteductas aquas fluor sanguinis evidenter imminuetur, & uterus ad aliquales conatus se denuo forsan accinget; sub quibus si caput Fœtus perpendiculariter & recta magis immineat, exiguum Naturæ momentum, pro infante expellendo concedatur. Quod si vero Obstetrix aut Operator Infantem in pravo situ offendat, aut vires Matris ad extremum magis ac ad dolorum partus evanescentiam fatiscant: rupta omnimora illum pedibus protrahere conveniet, modo sc. in partu quovis præternaturali quam maxime securo ac congruo.

§. XXXVI.

Paradoxum quidem plerisque Veterum, ac inter hos *Carolo Stephano 3. de dissect. part. corp. human. c. 2.* videbatur, foetum unquam per crura ex Matrice protrahere: quoniam hic mortuum viva Matre dum educandi rationem tradit, semper Caput hujus apprehendere jubet, nunquam vero tutam ejus extractionem, quæ a primis pedibus fiat, pronunciat. Verum pari ratione, ac in aliis occasionibus difficilioribus, in hac quoque, ubi fluor uteri cruentus Foetui ac Matri periculum portendit, modus hic operandi, a cunctis forsan rei obstetricatoriæ Scriptoribus modernis, quinimo a Praxi quotidiana, approbatur: & v. g. *Johannes Baubinus*, ex relatione Fratris, *Caspari Baubini append. ad Rouset. de partu casar. hist. 8.* Stephani modum undique fere alias secutus, in hoc nihilominus ab eo recedebat, dum in simili obstetricatione ante omnia pedes perquirebat, iisque inventis victoriam canens, foetum protrahere, Obstetricem jubebat. Pariter *A. Paræus lib. 23. c. 26.* ubi circa mortui infantis extractionem occupatus, dato etiam, quod hic in caput pronus se ad Uteri Ostium offerat, eum molliter sursum repellere ac circumvolvendo investigatosque pedes Uteri ostio adducere, monet. Neque hoc quidem sine ratione, quod nimirum capite globoso & crassiore commode apprehendere ac protrahere infantem minime liceat; nec in præsentī casu ejusmodi Foetus inversio tibiæque perquisitio res adeo difficilis videri poterat, in utero a fluore cruento enormiore maxime relaxato, ac operationi minus renitenti.

§. XXXVII.

Equidem videri poterat moles hæc carnea, ad Ostium Uteri devoluta, corpus plane heterogeneousum seu toto genere præter naturam, proin ante omnia, hinc ante fœtum quoque, auferendum. Quale quid tamen, quia ob connexas ei que continuas membranas fieri vix potest, quin his cum Placenta attractis simul quidem adducatur, minime ramen educatur, nedum educi queat ille; earundem interim Membranarum, internam scil. Uteri faciem succingentium, labor conversionem Infantis similemve Operationem necessariam evidenter juvat, & ne inter operandum adeo facile lædatur Matrix, prospicit: sine dubio Infantem ante Secundinas excludere, magis e re erit, utpote cujus vita sub angustiis & mora ejusmodi valde periclitatur. Secus autem agendum videtur in occasione posteriore, ubi nimirum profundior & extra Ostium Uteri descenderit ac præcipitatum fuerit Epar uterinum, hujusque Membrana ruptæ deprehenduntur penitus. Educendæ sunt scil. ante Fœtum Secundinæ, ne Operatori vel Operatrici impedimento existant, moramque nectant Matri ac Infanti perniciosam admodum. Cujus circumstantiæ quoque intuitu ne quidem Funiculus Umbilicalis ante Embryonis educationem deligendus ac rescindendus; non ut plebecula mulierum sibi persvadet, quasi per hunc aliquid vitalitatis a secundina ille interim adhuc capiat, sed ne exilissimum quidem temporis momentum pereat, & Matris gratia fluor sanguinis quam primum sistatur.

§. XXXVIII.

§. XXXVIII.

Atque sic me abunde satis comprobasse puto, Abortum Gestanti pariter ac Fœtui salutarem Arte aliquando adornari posse, imo, tanquam remedium in casu explicato, pro priore ad minimum superstite conservanda, maxime necessarium fore: quin tamen, dum fluor sanguinis interdum immodicus, cum hinc emergentibus deliquiis ac convulsionibus, in ipso quoque partus termino enixum, feliciorum turbat, prout §. 5. annotatum, parem ille obstetricationem postulet, in dubium vix vocari valet; i. e. citam & anticipantem Fœtus educationem, tanquam unicum hujus symptomatis remedium. A profluxu siquidem tali intempestivo Fœtus non tantum periclitatur, secundum observationem *Hippocratis de superfoet. t. 7. Sicut ex partu laboranti fluxus multus sangvinolentus, citra dolorem, ante puerum prodeat, periculum est, puerum mortuum exvolvendum, & non vitalem*: Sed parturienti quoque exin officio suo necessariæ deficiunt vires, in Lipothymias ac convulsionem conjectæ; quibus declinandis irritum ac minus adæquatum usum præsidiorum ordinariorum esse, Obstetrices &, qui iis succurrunt, Operatores latere nequit, diversis etiam exemplis confirmat *Gvillemeau c. 13.* una cum frequentiore aliarum experientia.

§. XXXIX.

Occasiones hujus, parturientibus minus oportune supervenientis, Hæmorrhagiæ vel Partum brevi antecedunt, vel eidem combinantur seu superveniunt: quarum priores superius recensifi.

sitæ, v. g. lapsus, contusio, succussio, terror; posteriorum forsan frequentissima est, si ad crebriores atque intempestivos conatus enitendi ab imperita & morosiore Obstetrice adigatur Puerpera, aut pellentibus sic dictis remediis dolores partus præpropere ac præter necessitatem cicantur. Utpote qua ratione non tantum Foetus, perperam forsan locatus, in hoc situ vitioso confirmatur, ejusque enixus præpeditur, sed (quod hujus loci maxime) sanguis pariter, vasa Matricis interfluens, præter modum & ad eruptionem usque exagitur, connexione Placentæ cum utero soluta. Quale quid aliquando etiam patrasse meminisse sub partu ab adstantibus Abdominis desuper factam compressionem, &, prout nugantur, infantis ad inferiora depulsionem: vel ideo pariter parturientibus haud æque proficuum, quod non sine discrimine Contusionis Matricis fiat, tunc temporis tensæ ac sensibilis valde. Nec denique rationi omnimode repugnat, rudiores inter parturiendum contrectationes & vellicationes membranarum tale quid patrare posse, secessum Epatis uterini festinantes.

§. XL.

Ejusmodi proin casus pariter solius Naturæ nisibus haud committendus, verum omnis obstetricationis mora in illo excutienda, ne in remedia ordinaria stegnotica major justo fiducia collocata perire interim concedat matrem cum prole. Operandi rationem ex antecedaneis repetere & de hujus feliciore successu tanto minus ambigere licet, quanto perfectior ac maturior in partus Fatali existit nascendus: eodem etiam tempore cooperantem habemus naturam propitiam & peritiam magis Obstetricem.

S. D. G.